

VENERABILI FRATRI

JOANNI EPISCOPO STI GERMANI DE RIMOUSKI.

C A N A D A.

LEO P. P. XIII.

*Vener, Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem.*

Merito, Venerabilis Frater, das gloriam Deo debitasque illi gratias persolvitis quod non siverit. Ecclesiam diu suam lugere viduitatem. Evidem imparem prorsus in Nobis ejus necessitati Rectorem illi praefecit; at qui adolescentulum elegit ad populum suum a Philistæo liberandum, potest utique et infirmitate Nostra uti ad dissipandas hostium suorum machinationes viresque frangendas: manus enim ejus non est abbreviata. Ipsi itaque soli fidentes omina tua, quibus suffragatur infallibilis Christi promissio, libenter excipimus; et grati officiis tuis, ominamur, ut quam de malo victoriam à bono referri desideras, eam non solum adductam videre valeas, sed amplioribus etiam in dies auctam incrementis prosperitatis Ecclesiae et populorum. Deus tibi constantiam et auxilia sufficiat ad illam pro viribus parandam ac maturandam; et auspex interim superni favoris tibi sit Apostolica Benedictio, quam præcipue Nostræ benevolentiae testem tibi, Venerabilis Frater, Clericoque et populo tuo toti peramanter impertimus.

Datum Romæ apud S. Petrum 27 Junii 1878.  
Pontificatus Nostri anno Primo.

[ Sign. ]

LEO P. P. XIII.